

DISSERTATIO

DE MOYSIS OBITU, ET SEPULTURA

Vide Ep. Judæ V.9.

Insitā in res miras animi propensione rapimur omnes; simplicibus eventibus, & factis communibus parum tangimur: miranda poscimus, esto fabulosa sint & ad libitum excogitata. Hinc amor, quo poësim & inventa prosequimur; hinc voluptas, quam ex iisdem percipimus. Qui primum ex Græcis scripserint, Poetas scimus (a); cum verò aggressi sunt historias intexere, quadam poëseos specie easdem instruebant. Herodotus novem suarum Historiarum Libros novem Musas appellavit, neque jucundius scribit, quam cum mirabiliter gesta, & fabulosas populorum, de quibus agit, traditiones recenset (b).

a Strabo l. 1. p. 17.

b Strabo l. 1. p. 16.

Si verò mirabilibus rapimur, præ cæteris sanè veritatis amore ita capimur, ut iis omnino nunquam acquiescamus, quæ à veritate discedunt. Mirabilia eadem, & poetica inventa, quibus maxime oblectamur, minimè arident, nisi veri speciem præferant. Nemo falli vult, neque rudibus & incongruis inventis pasci; & fabulosa omnibus jucunda accidunt, usque dum veri coloribus exhibentur. Sacri utriusque Testamenti Libri utraque, quibus ad eò oblectamur, verum nempè & mirabile mutuo ita connectunt, ut veluti quidam mirabilium textus videantur, quibus omnia & amorem, & reverentiam vindicant, cum in eis undique veritas elucescat.

Judæi pessimā gustūs pravitate, & nimio mirabilium amore ducti, Bibliorum miraculis amplificandis eousque studuerunt, ut nil ibi supernaturale occurrat, quod suis novis inventis non adauerint. Hinc factum est, ut sine gustu, sine discretionem, sine ingenio, quodque deterius est, sine reverentiā, quæ veritati, & Historiis Divinis & Scripturis omnino est adhibenda, prodigiis prodigia sepius cumulerint.

Vita & obitus Moysis præ cæteris Bibliorum historiis vitata sunt ab inanibus inventis, quibus Authores Hebræi perpetuò abuti consueverunt. Josephus (c) Historicus præcipua de Moysis vitā recenset, quæ utique nonnisi à Veterum traditionibus acceperat, vel à Libris Apocryphis, non aliis ab iis, quos Gaulminus anno 1629. Parisiis edidit, atque ita inscripsit: *Vita Moysis, & Assumptio, seu Mors Moysis.*

c Joseph. Antiq. l. 2. c. 5.

Quos Libros nos ita parvipendimus, ut quantum ad nos, æternæ oblivioni traditi penitus intercidissent. Cum verò S. Judas de morte & sepultura Moysis quid peculiare produxerit, quod ab aliquâ apocryphâ hujus Legislatoris vitâ exhaustum fuisse creditum est, nos, ne quod S. Judas refert, cum hujus insulsi Operis reliquis confundatur; ne etiam eidem Operi immerita proinde fides adhibeatur; ne denique S. Judæ narrationi obsequium & auctoritas adimantur, Librum vitæ Moysis producere, & id, quod inde S. Judas exhaust, nosque sacrum, & authenticum habemus, animadvertere statuimus, ut idem à cæteris seceratur, quæ nullā, Rabbiniçâ exceptā, auctoritate nituntur.

S. Judas, ut à blasphemis, & à contumeliis omnino abstinentiam ostenderet, Cùm, inquit (d), *Michael Archangelus cum Diabolo disputans alterearetur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiam, sed dixit: Imperet tibi Dominus.* In Canonicis Libris hac verba nusquam reperiri, inter omnes convenit, quamvis eadem illis Zachariæ alludant (e): *Imperet Dominus in te, Satan.* Cùm verò à S. Juda eadem allegentur, auctoritatem canonicam sibi vindicant, & certissimam præferunt veritatem.

d Jud. V. 9.

e Zach. 3. 2.

Undè S. Judas ea verba exhauserit, discernimen. Quidam ipsa Dei revelatione percipisse volunt; quidam à Patribus suis didicisse statunt, etenim ab Judæis plura scriptis minimè tradita, per seniorum traditionem nota erant. Doctissimi autem viri (f) verosimilius autumant, S. Judam ea deduxisse verba à Libro de Assumptione Moysis, Libro quidem apocrypho, qui tamen vera plurima plurimis immixta fabulis referebat. Sacri Authores, utpote cælesti lumine perfusi, vera à falsis secerere optime norant; quare quidquid certum ab iisdem recensetur, certiorum ab eorum, quàm ab hominum cæterorum testimonio, sibi vindicat auctoritatem. Hinc est, ut idem S. Judas de Libro Henoch, quem prorsus ignoramus, aliquid alleget (g); & S. Paulus de Janne & Mambre Pharaonis Magis, qui Moysi obstitit, meminerit [h]. Quæ quidem nos in Veteri Testamento nusquam legimus; Apostoli verò nonnisi vel per traditionem, vel per Judæorum Libros Apocryphos agnoscere.

f Est. Grot. Vi. de Athanas. in Synops. Clem. Alex. l. 6. Strom. & in Ep. Jud. Dydym. in Ep. Jud. Evod. Ep. 259. inter Augustinian. Orig. l. 3. Periarcho.

g Jud. V. 14.

h 2. Timoth. 3. 8.

Quòd

Quòd Judæi honorem nimio majorem Moysi haberent, plura quammaximè incerta de ejus morte audacter pronunciant. Fuere, qui eum minimè mortem obiisse, sed viventem adhuc in Cælos assumptum putaverint; quam quidem opinionem & plures inter Christianos Authores defendunt [i]. Fuere qui inter amplexus, & Dei oscula occubuisse crediderint. Alii, quemadmodum cæteros, è vivis migrasse autumant; alii incertam rem proferunt. *Moyfes*, inquit Josephus, (k) *una cum Eleazaro & Jesu in monte Abari constitutus, cum post mutuos complexus eis ultimam vale diceret, inter loquendum repentinè luce circumdatus, in vallem quamdam est ablatus. In Sacris autem Voluminibus scripsit se mortuum, veritus ne propter excellentem ejus virtutem à Deo raptum predicarent.* Is itaque Author Moysen mortuum & in valle sepultum clarè asserit; neminem verò ejus mortu & sepulturae interfuisse testatur.

i Vid. Ambros. l. 1. de Cam & Abel, c. 2. n. 8. Isidor. Hist. pal. de vitâ & Morte SS. Rupert. in Deuter. l. 2. Catharin. k Joseph. Antiq. l. 4. cap. ult.

l Philo de vitâ Moys. ad finem pag. 696.

m Vid. Gaulmin. de vit. Moys. p. 2. Paris. 1629.

Philo quoque (l) eum morte sublato, & sepulturae traditum dicit: *Jam, inquit, assumendus, tunc divinitus afflatus, vivens adhuc prophetavit de seipso tanquam mortuo, ante obitum narrans se mortuum, sepultumque insperante nemine, videlicet manibus non mortalium, sed virtutum immortalium.*

Hebraici Codices *Petbirath Moys* (m) seu Moysis Assumptio inscripti, prolixum Dei cum Moysè, antequam moreretur, colloquium inepte referunt, & Moysen ostendunt adhuc vitam à Deo obtinere, usque ad regionem Chanaan, Israelitis diu ante promissam, intueretur; eumque pueriliter ad eò loquentem inducunt, ut sermones illos inanes nos pudeat describere. Agebat e. g. Quoniam, Domine, à me Jordanem minime transiendum, & populum tuum in hanc regionem non inferendum iurejurando te obstrinxisti, saltem veluti Josue famuli mei famulam, vel in piscem, aut in avem conversum eò me ferri indulgeas. Quibus Domino non annuente, quindecim vel duodeviginti leucis supra nubes effert, & in eam regionem illinc aditum sibi fieri; vel se in frusta concisum ultra Jordanem projici, & statim ad vitam revocari poposcit. Denique horum nihil sibi Domino indulgente, eandem saltem regionem oculis suis petiit exhiberi; cui tandem Dominus acquiescens, octoginta teluris milliaria per suam virtutem ita contraxit, ut omnem regionem instar pictæ tabulæ ejus oculis videndam obtulerit; quare Moyses remotiora, sablimiora, & profundiora omnia unico obtutu permirâ facilitate lustravit.

Samael interea Dæmonum Princeps, postremum Moysis momentum, ut ei præfocato vitam adimeret, admodum expetebat; quem eà de re nimis festivum S. Michael populi Israelis Patronus, in lacrymas effusus ita increpavit: *Infelix, dum sto, rides? Juxta alios verò: Non utique exiles, pessima bellua: animo quidem de Moysi morte convidi; quæ per Josue à Deo loco Dissert. Calmet Tom. II.*

Moyses populi Principem constitutum, qui & unum supra triginta Chanaanos Reges interfecit, animo pristino sum restitutus. In primi & secundi Templi everfione ipse tenebris obvolvatur; sed ubi Messias adveniet; suo me Deus lumine perfundet. Postrema hæc verba, quæ in utroque per Gaulminum edito Libro habentur, post Christi adventum, & Templum secundum à Romanis everfium, hoc Opus contextum fuisse ostendunt.

Aliquando post Moysen, cum supremam auctoritatem, & populi regimen in Josue contulisset, Dominum allocutus, illuc usque ab eo se vitam flagitasse, tum verò se protus ejus voluntati committere protestatus est. Tum S. Gabriel, & S. Michael, licet à Domino jussi, Moysi necem inferre detrectarunt, ne sexcenta hominum, millia in se concitarent; S. Zinghiel etiam se Moysen præceptorem ostentans, Domino, qui sibi Moysen necem commiserat, Discipulum suum intermere se non posse respondit.

Dominus postremò Samaeli Dæmonum Principi, ut Moysen interficeret, imperavit; qui statim stricto gladio latus in eum irruit. Cùm verò Moyses instar Angeli lucem emitteret, & ab oculis & vultu flammæ effunderet, ejusque verba, veluti solis radii nitescerent, Samael terribus à cæde abstinuit, & Angeli omnes eam rem viribus suis omnino majorem asseruerunt. Verùm Deus in Samaelem iratus, minis increpatum ad Moysen interimendum iterum misit; cui rursus stricto gladio in se irruenti, Moyses ipse virgâ assumptâ, qua Dei nomine inscriptâ tot miracula perpetraverat, Dæmoni occurrit, eumque in fugam adactum urgens, denique affecutus, gloriæ suæ lumine obcaecavit.

Moyses tandem cum ad vitæ exitum jam pervenisset, humi prostratus, Deum ne Angelo mortis se interimendum committeret, exoravit; cui Deus inægens, se statim adventurum, eumque sepulchro traditurum respondit. Nec mora, Angelis Michael, Gabriele, & Zinghiel secum assumptis, ad Moysen descendit. Gabriel sepulturae instruendæ incubuit, Michael purpuram Moysi morienti supponendam instravit, Zinghiel Moysi vestes partim ad pedes, partim ad caput, hinc Michael, Gabriel inde constitutus, composuit. Secundus *Petbirath*, seu Moysis Assumptio, pulvinar Moysi egredienti supponendum à Zinghiel compositum refert, & Gabrielem ad dexteram, ad sinistram Michael, Zinghiel denique ad pedes collocat.

Moysen igitur decumbente, & Domini jussu clausis oculis, & utraq; manu supra pectus compositis, Deus ejus animam alloquens filiam vocavit; eique, ut postquam centum & viginti annis corpus illud animaverat, inde statim egrederetur, precepit; illi verò roganti, ut, quoniam Moysen puriorem invenire non posse putaret (n), diuturniorem in eo moram sibi indulgeret; iterum mandavit, ne egredi cunctaretur; quod in suæ gloriæ Throno prope

n Locus iste Metempsychosis sententiam insinuat.

Qq

pe Angelos, Seraphin, & Cherubin esset illic constituta; quae nihilominus respondit. Optime hic ego maneo; Angeli, Aza, & Aziel, ubi in terras devenere, innocentiam suam infecerunt (o); Moyses vero, postquam ei te in Rubo exhibuisti, ne suam quidem uxorem tetigit; quare ne hinc egredi cogar, iterum flagito. Deus vero Moysen amplexus, per oculum eius animam libavit, juxta illud [p]: Mortuus est Moyses servus Domini in osculo Domini.

o Falso He-moch Libro hic alluditur, ubi Angeli ad filias hominum ingressi dicuntur. Deuter. 34. 5.

Tum Dominus Moyses funus lugens, Quis, inquit, ei succedet? Flebant Angeli: Ubi invenietur Sapientia? Justus, clamabant Cali, de terra discessit; tellus vero ab hominibus aequitatem evasisse querebatur. Caelum, Sol, Luna, Planetae & S. Spiritus nunquam in Israel Prophetam Moysi similem adventurum ingenuere. Frustra de vivis ereptum Josue quaesivit. Metraton Angelus Deo dixit: Tuus fuit Moyses, cum viveret; tuus post mortem erit.

Hae summa eorum, quae afferuntur in duobus Libris per Galminum vulgaris, quorum uterque Moyses mortem, quamvis diversimode, recenset; S. Michaelis vero cum Dæmone de Moyses corpore altercationis neuter meminit. Quamobrem Librum de Moysi Assumptione, quem Patrum Graecorum Veteres agnoverunt, à duobus Pethirath alium esse, & eundem nunc omnino deperditum judicamus.

Ejus altercationis aliquid tangit Origenes [q], ubi ait S. Michaelem Dæmoni exprobrasse, quod Adam & Eva per ipsum cecidissent, pravâ nempe suasionem, quae eos per Serpentem decepit. Factum, quod eodem in Opere refertur, S. Clemens Alexandrinus memorans (r), Josue, inquit, & Caleb in montem, ubi Moysi de vivis emigrandum erat, profecti Moysen viderunt. Josue vero præ Caleb duos Moyses aspexit, alterum in monte, alterum medium inter Angelos; quorum alteri in vallem translato iusta perloluta, & ludus institutus. Caleb, quod de monte ante Josue descendisset, hæc non conspexit; verum Josue, quod purior, & majori donatus lumine esset, omnia intuitus, singula Israelitis narravit.

q Origen. l. 3. ex Anabasi Moysi.

r Clem. Alex. Strom. l. 6.

Evodius etiam ad S. Augustinum scribens (s), hunc ejusdem Operis locum producit, Moysenque, ubi in montem mortuus ascenderat, in duo corpora discretum refert; Ut aliud esset, quod terra mandaretur, aliud, quod Angelo comitanti sociaretur. Quod quidem cum quorundam Veterum ideâ coheret, qui præter rude & terrene corpus, quo instruitur, & quibusdam peractis annis per mortem solvitur, animam nostram alteri subtiliori, & aereo, à quo vel post obitum non secerantur, adherere arbitrantur.

s Evod. ad Aug. Ep. 259. Inter Augustinianas.

Loca denique ex eodem de Moysi Assumptione Volumine hausta hæc producantur (t). S. Michael cum Dæmone disceptans, Nos, inquit, à Spiritu Dei creati sumus; atque Spiritus à facie Dei egressus est, & nos omnes creati sumus. Alibi etiam (u) Moyses morti proximus ita Josue compell-

t Ex Alis Sy nod. 1. Nican. l. 2. c. 2. & 10. u Ibid. l. 2. c. 18.

lasse fertur: Deus antequam orbem conderet, me sui fœderis mediatorem futurum prævidit. In Pethirath Codicibus per Hebræos contextis, qui & nunc obtinent, de his ne verbum quidem. Liber igitur de Moysi Assumptione alius omnino est ab his Codicibus; quem si verè S. Judas hic allegavit, ut Origenes, Didymus, & Patrum & Interpretum plerique senserunt, necesse utique, ut ante Christi adventum conscriptus fuerit; ubi è contra ii, quos nunc Hebræi Hebraicè exaratos servant, post secundi Templi everisionem, et ante tetigimus, conscripti fuisse.

Verum S. Michael & Dæmon qua de re disceptarunt? S. Judas de Moysi corpore eos decertasse asserit; sed quare decertaverint, non dicit. Oecumenius sanè à Veterum traditione doctus, illud in causa fuisse prodit, quod cum S. Michael illustriori sepulchro Moysi instituendo incumberet, ei Dæmon validè obstitit, quod corpus Moysi, utpote qui Ægyptium, de quo Exodi 2. (x), interfecerat, ad sepelire, & sepulchri honore prorsus indignum esse dicitaret (y). Quamobrem S. Michael ut Dæmonem retunderet, Domini imperium indixit: Imperet tibi Dominus. S. Epiphanius [z] etiam, & Philo (a) Moysen Angelorum operâ sepulturæ mandatum tradunt, ne, ut veteres Patres (b) censent, Hebræi ad idololatriam proclives, Legislatoris virtute capti, si ejus sepulchrum nosset, Divinos eidem cultus fortè exhiberent.

x Exod. 2. 11. 12. y Oecum. in Jud. Ep. Ita & Glycas part. 2. Annal. & Pantaleon Carthophylax &c.

Quod quidem Hebræis jure merito cautum fuit; etenim quidam Arabie Petreæ populi, Idumæi nempe, & alii, quos Moyses nequaquam sibi devinxerat, ei nihilominus, teste Epiphanio (c), Divinos honores impenderunt. Hunc facile cornibus instructum exprimebant; quo factum esse suspicamur, ut Arabes sub eâ imagine Bacchum coluisse crederentur. Revera plura Moysi gesta Baccho adscripta constat. Fuere, qui putarint Dæmonem vel per Magos Moysi corpus jam tumulo conditum suscitari, vel Hebræis saltem patferi contendisse, ut deinde populis Deum esse suaderet (d). Alii non de Moysi sepultura, sed ne ejus anima in deliciarum & pacis locum inferretur, Dæmonem decertasse docuerunt (e). Conjecturâ Serarius ducit, Dæmonem corporis Moysi virtutem veritum, S. Michaeli obtulisse, ne in Moab regione Idolorum cultui addidâ tumularetur; sicuti diu post in Daphnes prope Antiochiam luco, ubi Apollo potissimum colebatur, S. Martyris Babilæ corpus sepulchro traditum fuisse conquestus est.

z Epiph. hares. 9. & 84. contr. Origen. a Philo de vitâ Moysi ad finem. b * Chrysostr. hom. 5. in Mat. th. Theodoret. qua. 45. in Deuter. Procop. in Deuter. Adde Joseph. Antiq. l. 4. c. ult. c Epiph. hares. 55. qua est Melchisedech.

Patrum, & Interpretum nonnulli (f) Moysen minimè obiisse, sed Henoch in star & Eliæ in Cælum vel in terrestrem Paradisum translatum, sibi persuasisse videntur. S. Clemens Alexandrinus Moysen, postquam in Cælum sublatus est, Melchi appellatum refert (g). S. Hilarius (h), S. Ambrosius (i), S. Hieronymus (k), S. Ildorus Hispanensis, Rupertus Abbas, & alii, quemadmodum ceteros homines, Moysen occubuisse non putant; quam quidem

d Ambrosiast. in Gal. 3. e Martyrius Syntag. de statu morientium & Eberianus de regressu animarum c. 9. f In Deuter. c. 34. 5. g Clem. Alex. l. 1. Strom. h Hilar. in Mat. c. 20. n. 10. i Ambros. l. 1. c. 2. de Cain & Abel. k Hieron. in cap. 8. Amos.

opi.

opinionem ab aliquo Apocrypho, qui perit, Libro fortè exhaulerant, ut his verbis S. Hilarius insinuat: Si quis conditionem & mortis, & sepultura, & sepulchri Moysi diligenter adverterit, & secretam Scripturam, secundam Apostoli auctoritatem, intelligat omnia ita esse tractata, ut Moyses potuerit jam videri.

Vid. Comment. in Deuter. 34. 10.

Ex eo Moysen non obiisse quidam defendunt, quod in Transfiguratione Domini & ipse apparuerit; nos vero ab eorum Patrum plerisque illud tantummodo innuivoluisset ibidem ostendimus [l], quod Hebræorum Legislator non, quemadmodum homines ceteri, interierit; sed ejus animam in quietis & deliciarum locum sublata fuisse. His vero, qui Moysen non occubuisse, sed translatum seridè putant, perspicuam objicimus Scripturæ auctoritatem, qua Moyses mortuus, & sepulchro traditus apertè denunciatur.

In Deuter. 34. 5.

Quis vero Moysen sepulchro mandaverit, incertum, cum à Scriptura non proferatur (m): Mortuus est Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum in valle Terra Moab. Nonnulli ea verba, Et sepelivit eum, ad Dominum proximè ante enunciatum referentes, Moysen ab eodemmet Deo, vel potius juxta Hebræorum & Christianorum traditionem ab Angelis sepultum statuunt. Ferunt alii, eadem verba: Et sepelivit eum de eodem Moysen, qui semetipsum sepeliverit, explicantes esse ita vertenda: Et is semetipsum sepelivit; se nempe Moyses in specu, ubi statim decessit, composuit, ibique omnibus incognitus hucusque delituit. In monte Nebo, & Phagâ Moysen occubuisse, & in vallem inde delatum, ab Josue & Eleazaro sepultura fuisse traditum, Sacri Textus videtur innuere. Quid enim ad miraculâ tum confugiamus, cum neque postulet necessitas, neque Scriptura meminerit Josue & Eleazarus eâ erant prudentiâ, ut optimè periculum nosset, in quod Israelitæ incurrisset, ne propter Moysen in Idololatriam adducerentur, de quo fortè etiam discrimine ipse Moyses utrumque præmonuit; idque sanè malum prorsus avertere eorum maxime intererat. Moysi itaque morti eos interfuisse, & postrema à S. Legislatore verba excepisse, simillimum vero ducimus; qui deinde ejus cadaver à montis cacumine in vallem delatum in abdito specu condidit, eundemque specum cautè occultum nemini unquam prodidere: quare non cognovit homo sepulchrum ejus usque in presentem diem (*).

Deuter. 34. 5.

Librorum Pethirath, quos jam allegavimus, Hebræi Authores, Deum per semetipsum Moysi sepulturam præstitisse, sepulchrum vero Gabrielem composuisse testantur. Moyses, addunt, decubuit, animam egit, eodemque statu corporis, eodemque, ubi osculum à Deo accepit, loco conditus delituit. SS. vero Angeli Michael, Gabriel, & Zinghiel, qui eidem morientia adfuere, & lectum, & sepulchrum præstiterunt.

Sunt, qui Moysi sepulchrum ab Jeremia Dissert. Calmet Tom. II.

tum inventum velint, cum S. Propheta, paulo antequam Jerusalem à Nabuchodonosore caperetur, Tabernaculum, Arcam, & Altare thymiamatis in monte Nebo occultuit. Tabernaculum (n), & Arcam, jussit Propheta comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hereditatem. Et veniens ibi Jeremias, invenit locum spelunca, & Tabernaculum, & Arcam, & Altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Ea tamen verba: Invenit locum spelunca, verti etiam possunt: Invenit locum cujusdam spelunca, & omnia, quæ detulerat, illuc intulit. Antra quidem in montibus sepissimè occurrunt. Idumæa, Palæstina, & Regio Moab montuosa sunt & cavernosa ad incolarum perfugium, ubi hostes arva invadant. Res autem tunc posebat, ut ex his specibus aliquis inveniretur commodior, atque occultior, eique ita ostium obstrueretur, ut non per arduum laborem recludi contingeret. Ex his quosdam ita occlusos se vidisse Itinerantes testantur, ut quâ viâ illuc aditus pateat, quave arte effodi possint, vix percipiatur.

n. 2. Macch. 2. 4. 5.

Prodigium à Cedreno accepimus (o). Lucida, inquit, nubes Moysi sepulchrum ita contegit, ut veluti interjecto pariete intuentium oculos ulterius progredi non sinat; quamobrem illud hæcenus nemo hominum novit. Inventum nihilominus putant anno 1655. Rem vero Georgius Hornius ita narrat (p): Cum Pastores quidam Maronita Octobris mense anni 1655. in montibus Nebo & Abarim capellas pascerent, earum aliquas identidem duorum vel trium dierum itinere à grege secedere, regressas vero mirificè redolere adverterunt. Rem itaque percepturi, errantes prosequuti, ad altissima prærupta loca devenere; in quorum imo contracta quidem sed gratissima vallis, ad quam non nisi per arduas rupes, quas à proximis montibus terremotus fortè præciderant, aditus patebat. Illuc profecti, antrum, & in medio antra loculum in vivâ rupe excisum, paucisque, quos percipere non potere, characteribus inscriptum invenerunt. Antrum undique suavissimè redolebat, regressisque Pastores odorem illum vestibus suis ita contraxerunt, ut hæc mirificè redolerent.

o Cedren. Hist. l. 1.

p Vid. Horn. histor. Eccles. Basnag. histor. Joseph. consuetud.

Ad Mataxat Maronitarum Patriarcham in monte Libani in Monasterio Canoben Kadischa Mariam degentem re delatâ, duo probati Sacerdotes, Aben Useph præsertim sapientiâ & scientiâ spectatissimus, missi ed fuere; qui antrum ingressi, sepulchri inscriptionem ita legerunt: Moyses Dei famulus. Evento hilaris Patriarcha ad Damasci Præsidem profectus, sibi sepulchri custodiam permitti, rogavit. Græci vero, Armeni, Judæi, & Franciscani, tanti sibi quisque obtinendi corporis spe ducti, & precibus, & pecuniis etiam plurimis, ut sibi sepulchri cura committeretur, enixè elaborarunt; Judæi præ cæteris, quod Moyses eorum esset Legislator, sibi conati sunt adjudicari. Turcarum Princeps, quod Jesu Christi Jerosolymis, Mahometi Meecæ, & Moysi sepulchro in monte Nebo potire-

Q92